

1570 re, globis, ignibus fabrefactis, saxorum ac stipitum libramen-
tis, ingenti strage edita, dejiciebantur. Hac propugnandi ra-
tione ex nostris quamvis pauci caderent, eo tamen majore
detrimento id fiebat, quod in dies militum numerus absum-
meretur, pauci, iidemque assiduis laboribus, vigiliis, æru-
mnisque afflicti & confecti superessent.

Tot difficultatibus circumsepti, cum literis secretioribus exa-
ratis notis certum hominem Tamassum mittunt, auxilium ca-
denti civitati implorant: ad extremum ventum; ni opem fe-
rant, jam de Leucosia actum esse. Responsi mora, interce-
ptum ab hostibus hominem fuisse, uti contigerat, cum suspi-
carentur, captivum ante mœnia Turcæ obijciunt, ut subsidii
spe omni amissa, nostri deditionem faciant. Rursus Joannem
Baptistam e Sancto Columbano, militum præfectum, virum
prudentem atque impigrum, Tamassum proficisci jubent. Is,
cum incolumis eo pervenisset, mandata exequutus, Cerinium
reversus, paucosque ibi, ne in hostium manus incideret, dies
moratus, tandem noctu itinere confecto, spe subsidii penitus
præcisa, urbe excipitur. Hoc frustrati effugio, literis ac nun-
tiis agrestes, qui intra juga montium sese abdiderant, ad au-
xilia ferenda, magnis propositis præmiis, sollicitant. Missi, ab
hostibus, qui omnes semitas militaribus præsidiis obseperant,
capti, in nostrorum conspectum obtruncantur. Verum nulla
re Italorum mentes commovebantur; in Cypria nobilitate in-
credibilis ardor, atque ad extremum usque spiritum in patria
tuenda constans atque infractus animus, qui nulla alia re ma-
gis, quam Venetæ classis spe sustentabatur; in ea & hostium
cladem, & ipsorum salutem sitam esse rati.

Turcæ contra, ne subsidia in Cyprum tandem submitteren-
tur, veriti, nostros assiduis laboribus fessos, ac prope confe-
ctos, si qua possent ad deditionem pellicere, atque incitare
conabantur: crebras literas sagittis alligatas in urbem ejacu-
labantur, quibus Mustaphas modo magistratus, cives nonnun-
quam, sæpe plebem, nunc clementia ac præmiorum spe, nunc
terrore acerbissimorumque cruciatuum minis ad deditionem
solicitabat. Cum nihil neque pollicendo, neque terrendo ho-
stes proficerent, milites, qui Constantii munitioni præerant,
in colloquium adcersunt. Thomas Cyprius, ordinum cohor-
tis

*Joannes
Baptista a
Sancto Co-
lumbano ad
auxilium
petendum
Tamassum
mittitur.*